

arachnoideo-hirsutis, extimis deltoideis herbaceis, intimis longissimis lineari-lanceolatis margine lato scarioso cinctis; flosculis involucri phylla intima paulo superantibus, ut videtur flavis extus purpurascensibus; achaeniis laevibus valde elongatis fuscescentibus striatis; pappo sordido quam achaenium sesquolongiore, pappi setis fuscescentibus apice nudis caeterum plumosis, plumulis albidis.

Habitat in declivibus australibus trajectus Pakschif prope pagum Jorif terrae Karategin altitudine 8000'. Augusto mense anni 1881 cl. Dr. A. Regel exemplar unicum speciei novae capitulorum magnitudine distinctissimae detexit.

Capitula cum pappi setis 4,5 centim. saepius superant. Involucri phylla extima 5—7 intima 42 millim. longa sunt. Caulium quam capitula breviorum altitudo inter 2 et 3,5 centim. variat. Folia 3—7 centim. longa 2 millim. lata sunt. Achaenia 2,5 pappi setae 2 centim. attingunt.

Si cl. Boissieri Scorzonearum orientalium synopsis sequeris *S. Albertoregeliam* post *S. pusillam* Pall., cui proxima, attamen pappo quam achaenium brevior, capitulis multo majoribus, *S. macrocephalae* DC. simillimis, caulibus humilibus diversissima, enumerabis.

## 8. *Scorzonera glabra* C. Winkl.

(*Euscorzonera* DC.)

*S.* perennis caule elato ramosissimo glabro striato; foliis longissimis angusto linearibus basi in vaginam caulem ramosque amplectentem dilatatis, margine laevissimis, apice acuminatis, radicalibus fere rosulatis caulem dimidium saepe superantibus, caulinis decrecentibus, summis saepe undulato-crispatis; capitulis maximis in ramorum apice subsolitariis campanulatis multifloris; involucri phyllis glabris vel ima basi subpubescentibus, extimis deltoideis acuminatis, mediis ovatis vel ovato-lanceolatis apice obtusiusculis, intimis lanceolatis margine membranaceo undulato cinctis utrinque attenuatis apice obtusiusculis obscure penicillatis; flosculis desideratis; achaeniis

longissimis laevibus apicem versus scabriusculis albis vel purpureo-fuscescentibus; pappi sordidi setis plumosis apice nudis.

Habitat inter fluvium Fan et lacum Iskander-kul altitudine 5—6000'. Julio mense anni 1882 legit Dr. A. Regel.

Plantae caules 3,5—4,5 decim. alti, capitula c. 5 centim. longa basi 2 centim. lata sunt.

Proxime affinis est *S. macrospermae* Turcz., a qua tamen caule ramosissimo foliis anguste nec late linearibus margine laevibus nec scabris haud aegre dignoscitur.

### 9. *Scorzonera bracteosa* C. Winkl.

(*Euscorzonera* DC.)

*S. perennis* radice crassa fusiformi verticali caule erecto basi foliorum pristinorum rudimentis dense obsito, striato glabro vel hac atque illac floccoso simplici ad apicem versus corymboso-ramoso ramis monocephalis infra capitula floccoso-lanata; foliis radicalibus et caulinis inferioribus lanceolatis in petiolum longum attenuatis, petiolis vaginantibus; foliis caulinis superioribus et summis late lanceolatis utrinque acuminatis sessilibus, summis apice acuminatis basi lata caulem amplectentibus, omnibus glabriusculis vel hac atque illac subfloccosis; capitulis cylindraceutis maximis in ramorum apice solitariis, bracteis 2—3 foliis caulinis summis simillimis quam capitula brevioribus vel saepius illa superantibus suffultis; involucri phyllis imbricatis 4—5-seriatis, extus dense et adpresse lanuginosis, intimis lineari-lanceolatis, mediis oblongo-lanceolatis, extimis ovatis vel deltoideis valde abbreviatis; receptaculo nudo foveolato, foveolorum marginibus cartilagineis; flosculis flavis; achaeniis ad costas obsolete transverse muricatis caeterum glabriusculis; pappi setis plumosis summo apice nudis.

Habitat in terra Hissar. In cacumine Chodscha-Bulak et prope pagum Jomut montium Gasi-Mailik altitudine 4—5000' Majo mense anni 1883 cl. Dr. A. Regel collegit.